



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 79. Summum exercitus imperium a Protestantibus Principi Benearnensi delatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

„necnon Henricus ipsius Condæi Fi-
 „lius, qui ut paterni nominis, sic etiam
 „virtutis hæres est: hos ergo illico tan-
 „quam Ductores vestros assumere po-
 „testis: insuper etiam alios proceres
 „nunquam bonæ causæ defuturos con-
 „fido: priusquam vero hi eligentur,
 „interea exercitus imperium Colinio
 „Archithalasso deferatur, cum ejus
 „magnanimitas, prudentia, rerumque
 „experientia satis perspecta esset

Sæcul. XVI.
 A.C. 1569.

§. LXXIX.

*Summum exercitus imperium a Prote-
 stantibus Principi Bearnensi de-
 latum.*

Absoluto hoc sermone Regina seorsim
 Filium suum allocuta, eundem hor-
 tabatur, ut suis partibus minime dees-
 set: postmodum ipsa Rupellam delata
 ibi nova auxilia parare meditabatur:
 dum ergo ejus propositioni omnes con-
 gregati aquiescerent, hinc cuncti etiam
 Ministri, ac Nobiles juxta normam eis
 præscriptam utrique Principi, postea
 vero milites suis Belliducibus eorum-
 dem Principum nomine fidei juramen-
 tum exsolvebatur: porro præprimis sin-
 gulari prærogativa Bearnensi Prin-
 cipi datum, ut ipse solus titulo su-
 premi copiarum Ducis insignis habere-
 tur, eoquod primus Regiæ stirpis Prin-
 ceps.

Thuan. l. c.
 Duplex p.
 748.

Sæcul. XVI. ceps, Regisque Filius, ac proximus
A.C. 1569. Regni hæres esset, unde eidem junio

Princeps Condæus duntaxat tanquam socius adjungebatur, atque Archithalassus per aliquot annos ab utriusque Imperio secundus interim nominatus contentus erat, usquedum hi duo Principes ad exercitus imperium per ætatem, bellique experientiam idonei evaderent. Postea de horum Principum securitate deliberatum, quam in rem censebant plures, eos Engolismam utpote urbem situ munitissimam, atque ab obsidionis periculo immunem abducendos: contendebant vero alii, satius fore, si ambo hi Principes in castris morarentur, ut milites ob nuperam Jarnacanam cladem animo admodum dejectos in officio continerent: nihilominus decretum, ut Mediolanum-Santonum ducerentur, eoque Colinius, atque Andelotus mitterentur, quatenus una omnes habito ibidem consilio principuos Belliduces Cognaci subsistere juberent, eo fine, ut tunc, si hæc urbs forte cingeretur, ipsi obsidioni præessent.

Postquam ambo Principes Mediolanum venerant, mox eodem ferme momento Colinii eo advolabant, iisque suadentibus satis opportunum censebatur, si ibidem ad reficiendas vires tantum diu subsisteretur, donec de regii exercitus

tus consiliis plenior haberetur notitia, cum incertum esset, an Regis copiae vel Engolismam, vel Cognacum obsesuræ forent. His conclusis cuncta parabantur, ut nonnulli auxiliaribus copiis, quæ ductore Bipontino Duce advennerant, obviam mitterentur, hisque militibus injungeretur, ut in itinere oppidum aliquod Ligeri fluvio transmittendo opportunum occuparent: porro Colinnii ambos Principes Angeriacum deducebant, eo quod hoc oppidum ceteris tutius videretur, cum illud Calerius valido munitum præsidio teneret: Pilius autem Mediolani substitit cum suis copiis, donec Pontium proficisci iussus esset, subrogato in ejus locum Blaccono, qui urbem cum sua legione tueretur: Denique Engolismam mittebatur Montgomerius cum quindecim equitum turmis, quæ dum ante urbem diutius morabantur, suosque præstolabantur, ab incumbente Briffaco, qui eas infecutus fuerat, fusæ, ac plerisque in fossam urbis sese præcipitantibus dissipatæ sunt, ubi capta etiam sunt duo vexilla, & ex Ducibus quamplurimi.

§. LXXX.

*Montacutum, & Tifaugium soluta
Cognacensi urbe ab exercitu Regio
captum.*

Inter-

Sæcul. XVI.

A C 1569.